

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Curiositas al  
cum fonte primo

Demens omnibus merito uiderer  
si cum saxa in munimentum murorum senes et femine congererent,  
cum iuentus intra portas armata signum erpcionis expectaret,

cum hostilia in portis tela uibrarent  
et ipsum solum suffosionibus et cuniculis tremeret,  
sederem ociosus et huiusmodi questiunculas ponens:  
Quod non perdidisti habes; cornua autem non perdidisti;  
cornua ergo habes.

Nunquid  
tibi demens uidear, si istis impendero operam et nunc obsideor?

Quid agam? Mors me sequitur; uita fugit.  
Aduersus hec me doce aliquid,  
effice ut ego mortem non timeam et uita me non effugiat.

Seneca XVI. epistola.

Demens omnibus merito viderer,  
si cum saxa in munimentum murorum senes feminaeque congererent,  
cum iuentus intra portas armata signum eruptionis expectaret  
aut posceret,  
cum hostilia in portis tela vibrarent  
et ipsum solum suffosionibus et cuniculis tremeret,  
sederem otiosus et eiusmodi quaestiunculas ponens:  
'quod non perdidisti habes; cornua autem non perdidisti;  
cornua ergo habes'

aliaque ad exemplum huius acutae delirationis concinnata.  
Atqui aequae licet

tibi demens videar si istis inpendero operam: et nunc obsideor.  
Tunc tamen periculum mihi obsesso externum immineret,

murus me ab hoste secerneret: nunc mortifera mecum sunt.

Non vaco ad istas ineptias; ingens negotium in manibus est.

Quid agam? mors me sequitur, fugit vita.

Adversus haec me doce aliquid;  
effice ut ego mortem non fugiam, vita me non effugiat.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 49.8-10  
(L. Reynolds ed., vol.1, p.129, ll.13-27).